5. 3. 22


5B.3.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

DE NATURA COGITANTIS PRINCIPII, ATQUE IDEARUM MENTIS HUMANÆ LIBER.



PATAVII, MDCCLXIV.

Ex Typographia Conzatti.
SUPERIORUM PERMISSU.

Digitized by Google

Reverendiſs., ac Clariſs. Viro Dom. Dom.

M A T T H Æ O

ORDINIS S. BENEDICTI

MONASTERII S. BLASII AD MONTES

ABBATI, S. CÆS. REGIÆ APOSTOLICÆ MAJESTATIS,

Nec non Celſiſſimi Archi-Epiſcopi Salisburgenſis Conſiliario reſpective Intimo ; per Superiorem Styriam Archi-Diacono , Congregationis Benedictino-Salisburgenſis per Styriam , Carinthiam , Salisburgum , & Bavariam Præſidi.

B. T.

QUamquam nec verborum delectu, nec ſuadendi vi multa cogitationes meas litteris mandare va-

Digitized by Google

leam; tamen qua poſſum ſcribendi ratione meam erga te benevolentiam declarare volo. Captus jampridém fui doctrina, atque humanitate tua in nos etiam ſumma, quæ tanta fuit, quantam exoptare intemperantis fortaſsé eſſet hominis. Sine igitur, ut elucubrationes meæ in lucem publicam ſub tui nominis auctoritate prodeant, ut meum tibi debitum ſtudium aliis perſpectum ſit, & cognitum. Sin minùs, quæ molitus ſum, & diſſerendi genus

nus

nus laudabunt; ſaltém, quæ in me eſt maxima, ad remunerandum voluntatem commendabunt. Pergrata hæc erit iis præſertím, qui cum in Italiam veniſti, te diligentiſſimé coluerunt; multos enim animus tuus optimus, & gratia incitavit, ut te omni officiorum genere complecterentur. Admirati ſunt non tam dignitatem tuam, quam eam, qua tibi ipſi hanc peperiſti, doctrinam maximam, pietatem, & ſuavitatem morum prorſus incredibilem. Con-

ſue-

ſuetudine, & familiaritate tua itá eos devinxiſti tibi, ut te ſimul venerati ſint, & ſummoperé dilexerint. Non minorem certé apud tuos exiſtimationem conſequi debuiſti, cum ad tot, tantaſque dignitates evectus fueris, quibus tamen non ad oſtentationem, ut multi faciunt, uteris, ſed ad aliorum commodum, atque ne dum privatam; verúm etiam publicam utilitatem. Prætervectæ ſunt aures noſtras meritorum tuorum laudes, quibus a Germanis quo-

Google

que, iiſque præſtantiſſimis viris audivimus diligentiam, induſtriam, atque acerrimum ingenium tuum commemorari, quo publica negotia tibi commendata adminiſtrare ſoleas. Si locorum intervallum maximum non prohiberet, quominus plura ad me defferrentur, aut viderem, copioſiùs, & diſtinctiùs tua in multos merita poſſem patefacere. Id tamen non ignoro, graviſſimas animi tui occupationes a rebus Celeberrimi Monaſterij, & Congre-

gregationis tuæ optimé gerendis te non diſtinere. Sicut imagines a ſpeculo oculis remiſſæ multum decoris a puriſſima cryſtalli ſubſtantia mutuantur; itá Monachi tui multum a te ſplendoris accepere. Quæ cum itá ſint, te Mecœnate aliqua mihi laus fortaſſé tribuetur: tamen id ſolúm a te peto, ut me differentem patiaris: fortaſſé illucebit mihi dies, quo pro tuis ampliſſimis erga me ſtudiis laudabiliús operam meam tibi navare potero.

DE NATURA COGITANTIS PRINCIPII,

atque idearum mentis humanæ

LIBER.

PARS PRIMA

De natura cogitantis Principii.

CAPUT PRIMUM.

Num poſſit materia cogitare.

QUod modó in diſcrimine venit, maximi faciendum eſſe, ii norunt, qui humanarum mentium immorta-

Digitized by Google

litatem tueri multum intereſſe intelligunt; quique Spinozæ, aliorumque id generis hominum decreta convellere, ſeu potiús deliramenta coercere aggrediuntur. Sané de omnis vitæ ratione, ac tranquillitate diſſidere videntur ii, qui de mentis natura diſputant; ejuſmodi enim controverſia multarum rerum principia ad humanam ſocietatem, ejuſque finem, ipſamque Religionem pertinentium complectitur.

Neque audiendi ſunt ii, qui Philoſophorum diſceptationes ad Religionem ſpectare non poſſe arbitrantur; quem enim latet, humanam ratio-

tionem ſæpé Religioni injuriæ notas graviſſimas inuſſiſſe?

Quaproptér erravit vehementér Volterius, immò audaċtér, ut de hujuſmodi ſolet rebus, locutus eſt, cum hæc ſcripſit; „ ce * n' eſt ni Montagne, ni Loke, ni Bayle, ni „ Spinoſa, ni Hobbes, ni Milord „ Shafterbury, ni M. Collins, ni „ M. Tolland, qui ont porté le „ flambeau de la diſcorde dans leur „ Patrie; ce ſont pour la plû part „ des Theologiens, qui ayant eu „ d' abord l' ambition d' être chefs „ de Secte, ont eu bien-tôt celle „ d'

* Epiſt. 13.

„ d' être chefs de parti. “ Hæc a Volterio prolata referre ſatís eſt, ut turpitér falli, & fallere non dubitemus.

Sed jám, ut, quod nobis propoſuimus tractandum, inveſtigemus, ponam in medio Lochii ſententiam.

Philoſophus iſte (quem præclari ingenii hominem jure dixeris; at pernicioſæ novitatis quandoque amatorem) de humana cognitione diſceptans hæc protulit: „ nous * avons
„ des idees de la Matiére, & de la
„ Penſée; mais peut-être ne ſerons
„ nous jamais capables de connoitre,
„ ſi un

* De Intel. Hum. lib. 4. cap. 3.

„ ſi un être purement materiel pen-
„ ſe, ou non par la raiſon, qu'
„ il nous eſt impoſſible de decou-
„ vrir par la contemplation de nos
„ propres idées ſans Revelation, ſi
„ Dieu n'a point donné a quelques
„ amas de Matiére diſpoſez, comme
„ il le trouve a propos la puiſſance
„ d'appercevoir, & de penſer. " Hujus opinionis multi extiterunt Sectatores, atque hiſce temporibus Volterius, cujus ſola etiám auctoritate nonnulli plané commoventur, qui Sapientiſſimos Veterum minimi putantes ætatem iſtam conſueverunt auream nominare. O Græci, Romanique

Se-

Spectatum admiſſi riſum teneatis...

Si igitur judicium illud veritati dixeris conſonum, quis tutó affirmare poterit, humanam mentem corpoream non eſſe, atque idcircó natura ſua immortalem? Lochius enim, & cum eo multi non quamdam tantummodó cogitationem inhærere poſſe materiæ opinati ſunt; ſed ejuſmodi, ut corporea moles, quæ ſunt humanæ mentis propria, queat complecti. Quid contentionis fuerit, illiuſque acerrimæ inter eum Philoſophum, & Stillingfleetum Eruditi norunt.

Ego

Digitized by Google

Ego tamén adduci numquám potui, ut ad illorum ſententiam accederem, atque humanam rationem tám arctis circumſcriberem limitibus, quales Lochius, aliique poſuere; arbitror enim ea conſtitui poſſe principia, é quibus cogitantem materiam repugnare coniiciamus.

Cum autém hoc volo, non id tantummodó volo, rem corpoream ſuſcipere eas non poſſe proprietates, quæ mentibus noſtris convenire ſentiuntur, ſed quacumque neceſſarió carere cogitatione:

Primum conſtituam eò, quód magis humana interſit, atque animi noſtri

ſtri præſtantiæ non mediocritér proſpiciat.

Corpoream quamcumque molem tenuiſſimam in alias infinité partiri poſſumus, ſeu in infinitas partes tribuere: id non ii ſolúm fatentur, quibuſcum eſt controverſia, ſed omnes, qui graviſſima momenta túm Phyſica, túm Geometrica ejuſmodi diviſionem demonſtrantia aſſequuntur. Si quis tamén hoc inter incerta mallet recenſere, non minoris propterea erit ponderis, quod pro me allaturus ſum, rationis momentum, uti poſt pauca exploratum faciam. Ad alia verò tamquam omninò certum illud principium,

Digitized by Google

pium ſumo; neque, ut puto, in hac diſputatione poſtulabitur demonſtratio; nimís enim interpellaremur.

Partes igitúr infinitæ quodlibet corpus conſtituunt. Eæ autém ſunt hujuſmodi, ut natura ſua ſeparatím eſſe queant, immo ſint procul dubio, quamvis ſatís firmo vinculo cohæreant; ſunt enim totidém re vera ſubſtantiæ, quarum aliæ, ut ſint, aliarum non indigent exiſtentia.

Quæ cum itá ſint, corpus omne infinitas complectitur partes itá inter ſe diſtinctas; ut quemadmodúm varia corpora natura ſua ſubſiſtunt alia ab aliis diſcreta; ſic illas ſe ha-

bere comprehendamus. Id ratum, atque conſtitutum omnes habent. Cum ergo indagare volumus, utrúm materiæ ſuperaddi queat cogitatio, qualem puta mentes humanæ experiuntur, inquirimus, num hæc facultas infinitis ſubſtantiis molem quamdam conſtituentibus convenire poſſit.

Hoc ſi fieri poſſe aſſeveras; illud ſtatím concedes, quamlibet materiæ portionem infinitas mentes complecti, quæ ratiocinentur, & liberæ ſint; ſi enim partes infinitæ corporis ſeorsím exiſtunt, quamquám inter ſe admirabili modo complicatæ, ſeorsím ratiocinabuntur, & libertate fruentur.

Aſ-

Affirmabis ne eas facultates eſſe ſimplex quiddam, quod toti maſſæ conveniat ità, ut non ſint ponendæ idcircó mentes infinitæ? At qua ratione ſimplex aliquid rebus inter ſe omninó diſtinctis accommodabitur, quin dividatur, nec propterea ſit ſimplex?

Quare vides, eó tibi neceſſarió deveniendum fore, ut in qualibet mente infinitas alias intelligas, quæ propterea mens propriori nomine vocabitur mentium infinitarum coagmentatio.

Alterum conſtituo principium; hæc nimirúm duo pugnare, liberam eſſe

Digitized by Google

ſubſtantiam quamdam; neque natura ſua ad operandum ſe poſſe determinare ità, ut ipſa ſit actuum ſuorum principium, ſeu cauſa; eſſet enim libera eodem tempore, & non eſſet; quod a Deo fieri poſſe; nemo definiet, niſi Deum ipſum de medio tollat.

Si igitur mentem aliquam, & liberam ſtabilire velis, & corpoream, cuidam materiæ portioni libertatem tribuis ità, ut natura ſua quædam corporis moles ſuperiùs tradita ratione queat operari. Hinc infinitæ, quibus conſtat, partes eandem vim, & facultatem obtinebunt.

Ope-

Operetur modó mens iſta; infinitæ, e quibus reſultat, partes in eandem conſpirare voluntatem, ſeu determinationem neceſſarió debent. Pugnat mentem illam agere, quin partes illius ſingulæ agant. Infinitæ mentes igitúr in eandem ferri debent neceſſarió operationem. At quomodó hæc neceſſitas cum libertate ſimúl eſſe poterit?

Similitudo majori in luce rem collocabit. Si mentes hominum ſingulæ ſe cohibere non poſſent ab iiſdem ponendis actibus; eó ipſo libertate ſpoliarentur; cauſa quædam ad arbitrium ſuum illas determinaret, vel adverſum ne-

neſcio quod fatum illis dominaretur.

Hoc, quod ſubnectere volui, exemplum ſatís oſtendit, ratiocinium hucuſque inſtitutum a materiæ in infinitum diviſibilitate pondus ſuum non mutuari, ſed a qualicumque rei compoſitione.

Miror Lochium, Deum noluiſſe corporeum, ne infinitos haberemus Deos, neque ſimilitér a mente libera ſemoviſſe materiam, ne illam infinitas alias comprehendere ſtatueremus, & proptereá quacumque carere libertate, quam ii tantúm, qui otio, & litteris abutuntur, in diſputationem vocant. Quod cum dico

Lo-

Lochium non reprehendo, quaſi de Deo, & creatis mentibus eadem ratione ſit differendum; ſed quod vir tantus confectarium illud conſiderata materiæ natura non ſenſerit; præſertim túm cúm hæc ſcripſit: „ je * ne
„ vois pas quelle contradiction il y
„ a, que Dieu cet Etre penſant,
„ eternel, & tout puiſſant donne,
„ s'il veut, quelques degrez de ſen-
„ timent, de perception, & de pen-
„ sée a certaines amas de Matiére
„ crée, & inſenſible, qu'il joint en-
„ ſemble, comme il le trouve a pro-
„ pos; quoique i'aye prouve, ſi je
„ ne

* De Intellec. Hum. lib. 4. cap. 3.

„ ne me trompe, que c'eſt une par-
„ faite contradiction de ſuppoſer,
„ que la Matiére, qui de ſa natu-
„ re eſt evidemment deſtitué de ſen-
„ timent, & de pensée puiſſe être
„ ce Premier Etre penſant, qui exi-
„ ſte de tout eternité.

Interpellarem hoc loco, atque interrogarem Lochium: ſi quis aſſeveraret, circulum natura ſua eſſe evidentér quadratura deſtitutum; vellet deindé eam circulo poſſe Deum ſuperaddere recté ne ſentiret? ſibi ne conſtaret?

Quid: ſi „ la matiére eſt evidem-
„ ment deſtitué de ſentiment, & de
„ pen-

„ pensée, " cur totiés eam, in qua verſamur, naturæ corporis ignorationem in conſpectu omnium collocat, ut ſuam ſententiam tueatur? Exploratum idem eſt, atque impervium humano intellectui, prout ſua referre ſentit Anglus Philoſophus.

Sed non deſeramus illa, quæ ſuprá perſpicere potuimus; nám ex eorum conſideratione nova argumentorum genera facili negotio haurire poterimus ad ſententiæ noſtræ confirmationem.

Infinitæ mentes in qualibet mente continentur, ſi hanc corpoream intelligamus: illæ autém, vel eædem ſunt, vel inter ſe diſſimiles: ſi eæ-

dem, erunt ſingularum eædem poteſtates, atque cogitationes. Poſſem híc poſtulare, cur Deus tot eſſe ſimul voluerit, cum una ad perficiendum hominem, vel ad alium quemcumque finem ſufficere videatur; ſed hæc probabilia tantúm, quibus, ſi nemo acquieſcat, non conquero.

Sint igitúr nihilominús infinitæ mentes illæ eadem inſtructæ cogitatione. Id generis rei quædam erit cauſa; hæc veró vel Deus, vel externum aliud, vel ipſæ mentes.

Verúm Deus, aut extrinſecum aliud quiddam numquám erit earum cogitationum origo, cum mens ſuarum

rum

rum operationum ſit, atque eſſe oporteat principium, niſi mentem velis evertere. Sed neque a mentibus illis ejuſmodi actuum ſimilitudinem potes derivare, niſi eas exiſtimes perpetuó hariolari.

Dicito ergo, alias ab aliis diſcrepare; at ſtatím nulla erit mentis perfecta determinatio, cum eæ, quas continet, infinitæ mentes idem neque cogitent, neque velint. Quis porrò hæc ſomniabit?

Serpentes avibus geminantur tigribus agni?

Prætereá ſi tot mentes in tám varias, aut contrarias diſtrahuntur co-

gitationes, different quoque morales earum actus, ità, ut alia bonum, malum alia queat amplecti. Quare uni mentis parti perpetua vitæ felicitas, alteri miſerrimus ſtatus ſub Deo juſto aliquandó accedet. Hanc mentis diremptionem quis tám plumbeus poſſe contingere judicabit?

CA-

CAPUT II.

Eadem quæſtio ulteriùs progreditur.

QUæ hactenús tradidimus, ea quidém, ut mea fert opinio, ſuadent materiæ convenire non poſſe genus illud cogitationis, quod proprium eſſe novimus mentium humanarum; attamén non conficiunt, nullam cogitationis ſpeciem poſſe corpori inhærere.

Non defuerunt Philoſophi, qui brutorum animas cogitantes aſſeruerint, ſed omninò corporeas; veriti enim ſunt, ne, ſi illas dicerent ſpiritua-

les, Religio jacturam pateretur, atque humanæ mentis dignitas minor fieret.

At ſi demus, quemdam cogitationis gradum cum materia cognationem habere, quælibet cogitatio eidem poterit accedere, atque hoc explanatione non indiget. Hinc

Incidit in Scyllam, qui vult evitare Charybdim.

In id igitúr diligentem operam conferre debemus, ut cogitationem quamlibet a materia tollamus, tamquám aliquid cum materia omninò pugnans, neque, ut ego arbitror, ad hoc demonſtrandum deſunt momenta, in

qui-

Digitized by Google

quibus inſit plurimúm firmitatis.

Revocemus iterúm, quod a materiæ diviſibilitate deprompſimus principium.

Moles omnis materiæ, quæ natura ſua infinitas complectitur partes, vel ab hiſce partibus tamquám infinitis conſtituitur entibus, quæ ſimplicia, ſeu una ſint, vel in alias ſemper infinitas hæ partes queunt diſſolvi.

Si primum exiſtimas fieri potuiſſe, itá ergo per te materiæ conveniet cogitatio, ut ea tribuatur infinitis quidém entibus, ſed ſimplicibus, quæque puta ſint tot acuti Leibnitii Monades, quas Philoſophus iſte in natu-

turam invexit ratus pugnare colle-
ctionem aliquam ex non unis. Hinc cogitatio ſimplici ſubiecto hærebit; ſeu, quod idem eſt, rei non corporeæ concedetur.

Quod ſi alterum pronuncies, cum in ea infinitorum conglomeratione omnia concreta ſint, nihil ſimplex, nulla a ſimili erit cogitatio infinitas alias non comprehendens. Cogitationes autem iſtæ eædem eſſe nequeunt, ſed in infinitum variæ eò, quod partes materiæ, quibus illæ tribuuntur cogitationes, in infinitum concipiantur dividi, & propterea mutari.

Hinc quamcumque cognitionem de

Digitized by Google

medio tollimus, quælibet cogitatio alias in infinitum complectitur, erit quoque ejuſmodi omnis cognitio; numquám igitúr ad ultimum quiddam veniretur, & propterea ad aliquid cognoſcendum in infinitum progredi oporteret; nihil ergo poſſet cognoſci; neque ſimilitér ullus eſſet interior ſenſus.

Sed ad alia tranſeamus rationum momenta: quodcumque ens cúm eſt cogitans, eo ipſo ſentit ſe exiſtere. Hoc verò ſentire non poteſt, niſi in actus ſuos animadvertat, ac ſentiat, ſe, quod cogitat, illud eſſe, quod olím cogitabat. Hæ igitúr diverſæ

cogitationes eidem rei inhæreant neceſſe eſt, ſeu ſimplici, ſimul enim identificantur, quod fieri non poſſet, ſi in infinitum eſſent diviſibiles, atque ejuſdem naturæ partibus materiæ inhærentes: partes nimirúm illæ infinitæ, atque idcircó cogitationes earumdem ſeorsím exiſtunt.

Quapropter nihil prodeſſe videntur ii ſimplicitati mentis, qui infinitos ſenſus intimos nos experiri debere affirmant, ſi nobiſcum corpoream mentem gereremus; neque rectiús diſſeruiſſe opinor Sher-Lochium * cum conjecit, mentem in ea hypotheſi non

uni-

* Novel. de la Rep. des let. ad an. 1705. pag. 383.

unicum puta palatium, cum in illud oculos convertimus, ſed plurima, atque innumera proſpicere debere. Cum enim partes materiæ aliæ extrà alias ſint collocatæ, omnes ſeorſim ſentire, & videre debent. Quocircà ponamus, mentem noſtram partibus centum conſtare: Ut illa totidém ſenſus intimos experiretur, & centum puta domus videret, procul dubio opus eſſet, ut in ipſa fieret tot intimorum ſenſuum, & idearum identificatio, quod reali earum partium, & propterea cogitationum plané adverſatur diſtinctioni.

Ut hoc faciliús aſſequamur, hypo-

theſis fiat iſta: ſit mens hominis plurimarum mentium, quæ alios complere queunt homines, unio, atque, ſi itá loqui fas eſt, complicatio. Eæ mentes ſeparatím cogitant, atque ſuarum cogitationum ſunt conſciæ.

Mens igitur illa ex tot aliis compoſita nequit complecti cogitationem, quæ omnium mentium ſit cogitatio, aut ſenſum, qui ſit ſenſus ſingularum, cúm ſeorsím cogitent, atque ſentiant ſingulæ.

Ad id, quod volui, firmandum reſtat mihi argumentum alterum, quod ex natura earum cogitationum, quæ materiæ concedi poſſunt, repeto. Sunt

illæ

illæ in infinitum diviſibiles, atque idcircò mutabiles : ſed quidquid cogitat, vel cogitare poſſe intelligitur, ſine ſimplici aliqua cogitatione nequit conſiſtere, ſeu ad aliquid tandem ſimplex percipiendum devenire debet; secús nullis limitibus circumſcriberetur illius vis, atque cognitio, quod in finito intellectu omninò pugnat.

En igitúr qua ratione proprietates mentis, corporiſque ſimul eſſe nequeant, neque ideó iis adſtipulari poſſimus, qui cogitationem, & materiam aſſociari arbitrantur.

Digitized by Google

CAPUT III.

Quomodo iis, quæ Lochius opponit, ſatisfiat.

Is, quæ tradidimus lucem multam afferet diſcuſſio rationum earum, quæ adversús ſententiam noſtram conſueverunt opponi. Quoniám autém eorum, qui a nobis diſſentiunt principem Philoſophum tot, tantiſque laudibus effert celeberrimus Volterius, eum primó audiam, atque ipſius in rem hanc animadverſiones conſiderabo; Volterium deindè conveniam.

Præcipuum Lochii, ejuſque diſcipulorum momentum ex ignoratione natu-

tu-

turæ mentis, & corporis depromitur: ſi enim, inquit ille, perſpecta nemini eſt mentis, corporiſque natura, ſeu eſſentia, cur omninó negare corporeæ ſubſtantiæ cogitationem voluerimus? *

Haud diffiteor, eorum ſubiectorum eſſentiam nos latere; tamén quaſdam utriuſque ſubſtantiæ proprietates cognitas, atque exploratas habemus; earum igitúr quaſi facies conſiderare, atque inter ſe comparare poterimus itá, ut, ſi omninó inter ſe diſcrepent, ſimúl non conſtare rectiſſimè ju-

* Hoc, & quæ ſequuntur Lochii argumenta excerpſimus ex annotatione ad Parag. 6. cap. 3. Lib. 4. citati operis.

judicemus, atque adeò diſſimili ſubiecto inhærere.

Proprietates ſubſtantiarum ſunt totidem illarum effectus, quorum nonnulli, ſi cum aliis pugnent, cum iis ſimul eſſe non poterunt, quin deſtruantur; ſufficit igitúr naturam proprietatum agnoſcere, ut eas diverſis plané, aut iiſdem rebus inhærere poſſe ſtatuamus; id ſæpenumeró, & Geometræ faciunt, & Phyſici. Donec aurum tale corpus perſeverat, ligni proprietates complecti non poteſt, niſi deſinat eſſe aurum; ſic materia nequit continere ea, quæ propria ſunt cogitantis principii, niſi deſinat eſſe materia.

An

An Lochius, qui tanto apparatu eam difficultatem adversús nos urget, in eadem, qua omnes, non verſatur illarum eſſentiarum ignoratione? cur tamén arbitratus eſt, ſe ex proprietatibus Dei, & materiæ collegiſſe ſubſtantiæ divinæ ſimplicitatem; atque in propatulo collocaviſſe? Hoc ſanè cum facit non tám nobiſcum, quám ſecum ipſe pugnat. Ex rerum, quarum eſſentias ignorat, modis claré cognitis, certiſſimum illud principium deſumit: cur igitur eos carpit, qui ex mentis, corporiſque perſpicuis qualitatibus derivant materiæ cogitantis impoſſibilitatem? Si,

quæ rerum ſunt propria, ad ferendum de earum diſcrimine judicium manum nobis afferunt ; falſum eſt ergo Lochii principium iſtud : ad determinandam rerum differentiam, earum eſſentiæ requiri cognitionem.

Neque verò tribuimus Lochio principium non ſuum; nam ſi, ut tuendum ſuſcepit, natura, ſeu eſſentia corporis, & mentis ignorata, definiri non poteſt, cogitationem materiæ non convenire, ſeu, quod idem eſt, ſubſtantiam corpoream omninó diſcrepare a cogitante, eo ipſo rerum diſſimilitudo per earumdem proprietates nobis comperta eſſe non poterit.

Por-

Porrò nos minimé commovet egregius Philoſophus, cum, ut probet, Deum corporeæ ſubſtantiæ poſſe cogitationem tribuere, hanc conſtituit hypotheſim: ponamus, inquit, è nihilo exiſtere ſubiectum corporeum, ſimulque creari alterum incorporeum itá tamén, ut neutrum operetur; neque ením pugnat exiſtentia rerum, quæ non agant; tribuere deinde iis velit Deus agendi facultatem; cur aliquid uni, quod non alteri, impertiri poterit? Nonne utrumque in eadem eſt inactivitate?

Hæc, inquam, nos minimé commovent; quis enim patietur hanc diſ-

ferendi rationem? Qua ratione, propterea, quod utraque recenſita ſubſtantia in eo concipiatur ſtatu eſſe, ut nulla earum agat, coniicitur, ambas ad idem operandum eſſe idoneas? Perfecta ſubſtantiarum ſimilitudo id quidém efficit, ſed quod ſubſtantiæ illæ duæ non operentur, non idcircò ſunt ſimiles; altera enim partibus conſtat, caret altera; partium autém, & cogitationis nullum eſſe poteſt connubium, uti ſuperiús intelleximus. Demonſtret aliquis Lochium ex præmiſſis recté derivare confectarium illud; hoc enim nondúm cogitatione ſum aſſecutus.

Cæ-

Cæterum, quod tám evidens appellatur; ſubſtantiam nimirúm exiſtere poſſe abſque eo, quod agat, non omnes concedunt Philoſophi; ſunt enim * ex iis graviſſimi viri, qui contrariam tuentur opinionem, ità, ut ſubſtantiam non operari, & non eſſe idem exiſtimaverint; atque haud ſcio an refutari poſſint. Hac tamén in diſputatione immorari nolo; nam, quæ primò attuli, oppoſitum momentum ſatis refutant.

Quæramus modò, num ſententia noſtra experientiæ adverſetur, quemadmodúm Lochius exiſtimavit: quamquám,

* Bourguet vide Bibl. Raiſ. tom. 6. pag. 203.

Digitized by Google

quám, inquit, ſentiendi facultatem brutis ademerit Carteſius, ne, uti crediderunt, qui ante ipſum floruere Philoſophi, principium ſentiens ſimúl, & corporeum in iis admitteret; tamén ſentire bruta manifeſtiſſima res eſt, & perpetuis experimentis comprobata? At erunt ne eorum mentes ſpirituales? Si hoc affirmes, erunt igitúr immortales? Verúm quid abſurditate plenius, quám tot puta minimorum reptilium, & volatilium animas vitam acturas eſſe immortalem?

Quamvis hujus argumenti maxima videatur eſſe ſpecies, nullo modo con-

tro-

troverſiam conficit. Cum philoſophamur principiis certis uti debemus. Quod bruta ſentiant, & cogitent multi, iique præſtantiſſimi viri demonſtraſſe arbitrati ſunt; attamén quamplurimi alii negavere, aut ſaltém in dubium revocarunt.

Si ſincero animo de tot, tantorumque hominum diſſenſione judicare velimus; nihil nos ea de re cognitum, atque perſpectum habere intelligemus; quid eſt enim rationis ab iis in utramque partem allatum, quod evidentia comitetur, ſeu nos in aſſenſum invitos rapiat, cujuſmodi certa omnia eſſe debent?

Sed

Sed etſi brutis ſentiendi , & cogitandi vim tribueremus; non ideò cogeremur materiam cogitantem admittere. Sint ejuſmodi brutorum animæ; ſint ſpirituales ; ſint ideó natura ſua immortales : num immortalitas ea, quæ propria eſt mentis humanæ brutis adſcribetur ? Cum animantia omnia uſui, atque ſuſtentationi hominum a Deo deſtinata fuerint, nonne intereunte eorum corpore poteſt Deus illorum animas deſtruere ? Hinc autém conſequetur fortaſsís , mentibus humanis idem poſſe contingere? Non ſolúm revelata Religio; verúm etiám naturalis tot nobis præſto eſt in op-

po-

Digitized by Google

poſitum momentis, ut nihil ampliús deſideretur, quod ab hominum mentibus timorem omnem depellat.

Sed progrediamur ulteriús: ſi quis affirmaret, Deum poſſe brutorum animas, quamquám ſpirituales conſtituantur, perpetuó conſervare, iniqué ne ſentiret? Nonne Deus eas ſpirituales velle potuit? cur igitúr immortales velle non poterit? Affirmabis ne, Deum, ſi ſpirituales brutorum animas condidit, illas tollere de medio aliquandó debere itá, ut perfectæ naturæ ſuæ neceſſitate ad hoc patrandum impellatur? Verúm hoc

aut hominis ſtulti eſt, aut perverſi credere.

Quapropter non video, cur ſi perpetuó duraturas eſſe brutorum animas, pronunciaremus, Religio aliquod detrimentum pateretur.

Quid obeſt rationibus humanarum mentium, animas brutorum eſſe immortales, cum inter has, & illas tám immane interſit diſcrimen, neque hominum felicitas a futuro animalium ſtatu dependeat? Si minimé pugnat, animas belluarum vivere diú ſpirituales eo tempore, quo tales vivunt humanæ mentes; cur impoſſibile erit huic ſtatui rerum nul-

nullam ætatem finem eſſe allaturam ?

Ex hiſce omnibus efficitur, ex brutorum natura nihil argumenti hauriri poſſe, ut, quod eſt corporeum, complecti poſſe cogitationem, ſtatuatur.

Digitized by Google

CAPUT IV.

Ad examen revocantur Volterii objecta.

POſtquam Lochii rationes expendimus, Volterium audiamus; „ eh, qui peut, inquit ille,* empecher Dieu de communiquer a „ nos organes plus deliés cette faculté de ſentir, d' appercevoir, & „ de penſer, que nous appellons raiſon humaine?

Meherculé ſententiam perbellé dicit: craſſæ igitúr materiæ partes cogitare nequeunt; poſſunt veró tenujo-

* Epiſt. 13.

jores, atque molliores? Quid minús eſt philoſophi, quám hoc aſſeverare? Nonne partes omnes materiæ aliis infinitis ſunt compoſitæ? Inquirimus, utrúm cogitatio convenire poſſit rei ex infinitis reſultanti partibus; rationum momenta jám tradidimus, quæ ab ea cogitationem quamcumque ablegant. Quid refert igitúr, partes corporis in duo genera illa tribuere; etſi partes illæ aliæ aliis ſint exiliores; non minús tamén corpus conſtituunt, de quo generatím ſumpto conſtat, ad cogitandum non eſſe idoneum.

Forté Volterius veteres Philoſophos, & Poetas ſectari voluit, inter quos

Stoi-

Stoici fervidum ſpiritum, Heraclitus vaporem mobilem, Diogenes aerem dixerunt eſſe, quod in homine cogitat; Virgilius autém ità nobis produxit Anchíſis animam, quam filii amore concitus Æneas fruſtrá complecti nitebatur.

* *Ter conatus ibi collo dare brachia circum*
Ter fruſtra comprenſa manus effugit imago
Par levibus ventis, volucrique ſimillima ſomno.

Verúm, ut ſuperiús dixi, ſi mens hominum, aut cogitans quodcumque aliud;

* Æneid. lib. 6. v. 700. & ſeqq.

aliud principium ab hujuſce generis materia poteſt conſtitui, quodcumque corpus capax erit cogitationis.

Porrò ſibi non conſtat Volterius, cum, ut ſuadeat, latere nos, an principium cogitans queat eſſe corporeum, hoc ponit eſſe exploratiſſimum: humanam rationem propriis tantúm ſuffultam viribus mentis immortalitatem numquám aſſequi, & demonſtrare poſſe; quaproptér illam nos edocuiſſe Deum ità, ut ejuſmodi cognitio ad revelata dogmata pertineat; ſi enim ex ſuperiori ipſius ſententia Deus poteſt tribuere corpori rationis vim; cur deindé ad immortalitatem anima-

rum

rum cognoſcendam indiguiſſe hominem revelatione definivit? ſi enim hæc itá ſunt, rationis ope mentis naturam non intelligimus; neque ideó poteſt Volterius certó aſſeverare, mentis proprietates a Deo poſſe materiæ concedi.

Prætereá, quæ ſcribit de ea intellectus noſtri imbecillitate a vero omninò diſſentiunt. Immortalis animorum vita eſt quidém fidei dogma; attamén Philoſophus quoque illam poteſt demonſtrare rationibus, ſeu naturali lumine comprehendere. Hinc Lateranenſe Concilium ſub Julio II., & Leone X. celebratum ſanctiſſimo ſtu-

ſtudio adducit ad eam mentis dignitatem patefaciendam Philoſophos.

Hoc autém fit non ſolúm mentis ſimplicitatem demonſtrando; verúm etiám animadvertendo in fines, ad quos inſtitutum a Deo eſſe hominem novimus itá, ut rationis ductu, compertum habeamus, Deum, niſi juſtitiam deſerat, mentes hominum perpetuó eſſe conſervaturum. In id plurimi tám felici eventu operam contulerunt, ut nihil fortaſsé, quod addi queat, ſuperfuerit.

Quaré ii errarunt, qui ſolam Revelationem nos animorum immortalitatem edocere opinati ſunt.

Maximam veró reprehenſionem meretur Volterius, quod ſtatuerit, Fidei dogmata contraria eſſe poſſe principiis ab humana ratione demonſtratis, quaſi verò, etſi clarum fiat, cogitantem materiam repugnare; nihilominús oppoſitum a Deo fieri, & revelari nobis queat.

Si hæc ſemél conſtituantur, univerſa ruit Religio; ex iis ením conſequitur, incerta eſſe judicia noſtra, nihilque ab homine evidentér percipi. Quaproptér quis tamquám perſpicua amplectetur ea momenta, quibus Dei exiſtentiam ſtabilimus; ſeu quis Deum eſſe certò credet, cum

ſola

ſola humana ratio id poſſit ſuadere?

Quæ cum ità ſint, cauſam Lochii meliorem non fecit Volterius, cujus major tantummodó audacia, non vis differendi. Catholicæ Eccleſiæ Patres de re, quam pertractavimus, ſcribentes pluris fecit Lochius, minúſque eorum dignitatem imminuit.

Hactenús a me dictis id, quod volebam confeciſſe opinor. Mirabitur fortaſsé quis, a me Lochium emendari; verúm id alii quoque fecerunt, neque ipſi ſiluerunt Angli, neque Philoſophus ille ſe omni errore caruiſſe credidit; identidém enim hunc cum amicis ſermonem conſueverat ha-

bere : „ je me ferai * toûjours un
„ plaiſir de prêferer la verité a tou-
„ tes mes opinions , des que je ver-
„ rai par moi même , ou , qu'on me
„ fera voir , qu'elles n'y ſont pas
„ conformes .

* Elog. de M. Locke Novel. de la Republ. des Let. ad an. 1705. pag. 154.

FINIS PRIMÆ PARTIS.

DE

Digitized by Google

DE NATURA COGITANTIS PRINCIPII,

atque idearum mentis humanæ

LIBER.

PARS SECUNDA

De natura Idearum.

CAPUT PRIMUM.

Sint ne ideæ in mente, aut quiddam ab ea diſtinctum.

Poſtquám mente aſſecuti ſumus, quænam interſit diſſimilitudo corpus inter, & cogitans principium ità, ut

Digitized by Google

ut præſertím humanæ mentis ſimplicitatem conſtituerimus, de mentis ejuſdem ideis volo inquirere, quamvis perobſcura hac de re ſit quæſtio, & perdifficilis, ut tot oſtendunt clariſſimi Philoſophi, cum in tám varias diſtrahuntur opiniones. Fiunt quandoque ab imperitis animadverſiones, quas ad examen periſſimi revocantes illuſtrant ita, ut novorum momentorum acceſſio alicujus ſententiæ fiat.

In genera duo ideas omnes diſtribuo; aliæ ením earum rerum ſunt, quas in ſe ipſa mens comperit, cum propriam exiſtentiam, ſuaſque facul-

ta-

Digitized by Google

tates experitur, atque conſiderat, aliæ rerum, quæ exteriús ſunt collocatæ, ſeu ab ipſa mente ſecretæ.

Prioris generis ideas ipſi menti inhærere nemo in controverſiam revocat, ſed de natura idearum, quibus res externæ cognoſcuntur, aut quæ ab externis inferuntur rebus, Philoſophorum diſcrepant ſententiæ. In cauſa hæc ſunt. Quemadmodúm ideæ rerum, quas ſub imagine contemplamur, duo videntur complecti, hoc eſt mentis actum, quo percipiuntur, & quoddam rerum ſimulacrum, ſeu imaginem perceptam, quærunt, num hæc ſimulacra ipſi menti hæreant veluti

Digitized by Google

luti quidam ipſius modi, ſicuti de prima idearum claſſe compertum habemus. Illud quoque inquirunt, ſint ne in ipſa mente ideæ, ut ajunt, intelligibiles, hoc eſt numerorum, extenſionis generatím ſumptæ, reliquarumque abſtractarum rerum.

Diú, multúmque hac de re diſceptatum eſt, neque umquám hac ætate dictum eſt ſubtiliús; ſed niſi mea me fallit opinio, idcircò dirempta non videtur diſputatio, quod plerumque Philoſophorum rem hanc tractantium id conſilii fuerit, nihil explorati, & cogniti de ideis illis ſtabiliri poſſe, niſi mentis, corporiſque

na-

naturam rimemur, tradamuſque rationem, qua mens in ſuos quodammodó modos ſibi ideas adſciſcat, ſi velimus ex iis eſſe, qui ideas animæ ineſſe aſſeverant. Quaproptér varia obtinuere ſyſtemata diverſum tempus, & loca varia.

Notæ ſunt Peripateticæ ſpecies; Leibnitii Harmonia præſtabilita, aliæque id generis hypotheſes, & commenta.

Quemadmodúm autém tot doctiſſimorum virorum curæ licet improbæ ad veritatem inveniendam ſufficere non potuerunt; immò aliquandó majores tenebras huic quæſtioni offuderunt,

ſancitum eſt, neminem poſſe aſſequi, an mens veluti in ſinu ſuo ideas complectatur. Id inter cæteros definivit Clariſſimus Genoveſius. *

Poteſt quiſquam opinari. Nolo ſubſellium meum in conſpectu tantorum hominum collocare; at nemo, ut reor, prohibebit, quominús, quod hac de re ſentio, aperiam.

Arbitror igitúr, ſententiam eorum, qui ideas omnes in mente ponunt, demonſtrari poſſe, quin ea, quæ ſuperiús inquiri notavimus, perſpecta habeamus; poſſunt enim conſtitui principia, quæ rem talem eſſe conficiant,

quam-

* In Epiſt. ad Ab. Conti.

Digitized by Google

quamvis ratio, qua fiat res, patefieri non poſſit, ut identidém túm in Methaphyſicis rebus, túm in Phyſicis uſuvenit.

Ut autém principia illa conſtituantur, primúm animadverto; nullum corpus, ut omnium conſenſu firmatum eſt, aliud poſſe afficere, aut ab alio affici in diſtans, ut loqui amant Phyſici.

Poſſemus ne legem iſtam rebus omnibus accommodare itá, ut nihil movere aliud, vel moveri in diſtans poſſe intelligatur? Nihil eſt, ut reor, exploratius; ſi enim ſecús accideret, conſequeretur in natura aliquid ſine

cauſa; nam ens unum ab altero, nec mediatè, nec immediaté moveretur; & tamén in eo aliquid fieret, quod neque ab ipſius operatione proficiſceretur.

Quapropter de ſpiritualibus quoque ſubſtantiis conſtat, eas in aliud quodpiam operari non poſſe, quin mediaté, vel immediaté agant in illud, quod viciſſim de externa quacumque cauſa judicandum eſt, ſi in ſpirituale ſubjectum agere intelligatur.

Ponamus modó ante mentem noſtram alicujus extrinſeci objecti imaginem, ſcilicet id, quod appellare poſſumus materialem ideam, in conſpe-

ſpectu ipſius mentis collocetur.

Ut mens eam ideam reſpiciat, neceſſe eſt, ut ab aliqua cauſa, quæcumque tandém ea ſit, immediaté, vel mediaté commoveatur, ſeu afficiatur; nám mentem ejuſmodi ideam intueri eſt quidam ejuſdem motus, ſeu modificatio, hoc eſt, ne verborum potiús, quam rerum fiat contentio, exiſtendi ratio, quæ primarió a mente non ducit originem, cum a ſe ipſa non habeat exteriora videndi facultatem.

Hoc autém non dico, quaſi mens res non contempletur per actum ſuum, atque ideó tantúm patiatur, uti plu-

res

res falsó affirmavere; ſed quod conſcia eſſe nequeat rerum externarum, niſi aliquid extrinſecum illam commovens præcedat.

Quocircá vi hujus motus mens extrinſeca intuetur; cum enim puta arborem proſpicit de ſtatu uno ad ſtatum alterum tranſit ità, ut ratio poſterioris ſtatus in eadem mente reperiri nequeat. Varii igitur animæ ſtatus, quibus exteriora, atque inter ſe diſſimilia objecta videt, totidem ſunt effectus externarum cauſarum.

Effectuum porrò ejuſmodi ea debet eſſe natura, ut res exteriús poſitas neceſſarió repreſentent, & quaſi de-

li-

lineent in anima; ſecús earum facies omni ex parte ipſam lateret. Vide quomodó id ex ſuperioribus principiis exoriatur.

Si negas, talem eſſe naturam eorum effectuum, mens erit conſcia rerum, quas non complectitur; quare haberetur in ea effectus, qui neque ab ipſa, neque ab externa cauſa ſumeret originem: non ab ipſa; mens enim eo non pollet robore, ut nulla poſita exterioris cauſæ actione rem externam queat comprehendere; ſecús creatrix foret, immó divinatrix: non ab externa cauſa, nam ſi perciperet rem, quæ in ipſa non reperitur,

tur, aliquid in diſtans cognoſceret; id tamén pugnat, cum in iſto mentis, & rei percipiendæ ſtatu, nulla ſit rei in mentem, neque mentis in rem operatio. Ex quo efficitur, nullam ſupereſſe rationem ſufficientem, ob quam anima rei externæ ſit conſcia.

Sentio, quid modó argumenti adversús iſta queat urgeri: nonne, reſpondebit quis, ejuſmodi in mente motus ab externa cauſa in mente excitari poteſt, quo illa oculos in id convertat, quod eſt extrinſeci objecti repræſentatio, quin motus iſte ſit objecti lineamentum?

Verúm numquám rei, quæ obiicitur

tur

Digitized by Google

tur menti, ulla erit idea, niſi motus, qui in mente oritur, rem externam exprimat, illiuſque ſit veluti exemplum. Hoc ſi demas, de rei, ſeu ideæ præſentia mens admonetur tantum, quid verò illa ſit, perſpicere nulla ratione poterit, cum in motu monente tantúm de rei præſentia nulla ſit ratio cauſæ, quæ de quodam determinato obiecto admoneat.

Quod ſi affirmaveris, talem eſſe hunc motum, ut illius ope certior fiat anima, rem talem, ſeu talibus veſtitam proprietatibus ſibi adeſſe, eo ipſo motus iſtiuſmodi rem extrinſecam repræſentat, ſeu eſt id,

Digitized by Google

quod appellamus ideam : dabis propterea ideas, quæ imagines rerum ſunt, menti inhærere.

Quæ cum ità ſint, nihil poteſt anima contemplari, quin ipſi communicetur rei cognitæ idea; non res, ſed rei cognitæ idea; multi enim itá diſputarunt de ideis, ut res cum earum exemplis confunderent.

Qui ſolam rei præſentiam ſufficere arbitrantur, ut mens cognoſcat, nedum a ratione, ut ſuperiús docuimus, verúm etiám ab experientia diſſentiunt; nám alicui procúl dubio humani corporis parti præſens eſt anima, vel omnibus, ut Scholaſticis placuit.

cuit.

cuit. Habet ne tamén earum partium ideas mens noſtra?

Ii quoque, qui putant, deſcriptas ideas mentem habere, quod contempletur veſtigia quædam cerebri, a quibus objecta externa exprimantur, ſi rerum præſentia ſufficit ad earum ideas comparandas, poſſunt ne explicare, qua ratione mens abſtineat a viſu ſubſtantiæ illius, cui memorata veſtigia inhærere exiſtimant? Nequit veſtigium aliquod eſſe præſens, quin eodem tempore ſit præſens illius ſubjectum; neque enim eſt quiddam ſecretum a re, cui imprimitur, ſed rei modus.

Naturam idearum, de quibus diſ-

putamus exploratiſſimam facit animadverſio in ſenſibiles corporum qualitates. Sapor, calor, odor, color, aliæque id generis rei corporeæ qualitates nihil aliud ſunt Philoſophorum conſenſu, quám quædam animæ ſenſationes, ſeu ejuſdem modificationes; iis ením nihil ſimile ineſt corporibus.

Si in ea omnia, quæ ſunt viſibilia, objecta oculos convertamus, intelligimus ſtatím, nos non percipere eorum eſſentias, ſed ſolam, ut itá loquar, ſuperficiem. Hæc autém non aliud eſt, quám colorum varietas, eorumque diverſa ordinatio, ex qua

va-

variæ naſcuntur figuræ. Si igitúr colores ſunt animæ ſenſationes, ideæ corporum, quæ conſpicimus, vel imaginamur, menti inhærent. Hinc patet errare quoſdam, qui videre, & ſentire velutí res inter ſe diſtinctas concipiunt.

CA-

Digitized by Google

CAPUT II.

Hæreant ne menti ideæ intelligibiles.

SI in ea, quæ demonſtrata fuere de ideis ab imagine repræſentatis, ſtudioſé animadvertamus, manifeſtum eſt, ea conſtituta fuiſſe principia, ex quibus efficitur, ideas, quæ intelligibiles vocantur, eſſe mentis modos; eſſe nimirúm hujuſmodi perceptiones extenſionis generatím ſumptæ, numerorum, ac Geometricarum figurarum; omnes uno verbo notiones, quæ ſolum intellectum reſpiciunt,

ciunt; atque equidém tot poſitis, atque tám inter ſe variis ſenſationibus, eo ipſo in anima eſt, quod ſufficit, ut ideas omnes ſuprá explicatas nanciſcatur.

Ineſt menti ratiocinandi vis; quocircá, cum varia corpora ſentimus, atque eorum limitatas extenſiones experimur, extenſionem generali conceptu intelligere poſſumus, quemadmodúm ex ſingularium hominum ideis genericam hominis notionem haurimus. Hanc facultatem auferet a mente nemo, quin eidem rationis uſum velit adimere.

Senſationum deindé varietas nume-

ro-

Digitized by Google

rorum ídeas parit: varia conformatio ſenſationum producit ideas Geometricarum figurarum. Atque hoc loco conſiderare debemus, figuras corporum per aliam quoqué viam, quám per viſum poſſe cognoſci; ſi enim cæcus globum manu attrectet, rotunditatis ideam adipiſcitur, eademque ratione quamcumque figuram ſentit.

Prætereá a colorum ſenſationibus indiviſibiles ſunt figuræ; igitur iſtæ ſentiuntur, atque ideó earum ideæ in mente continentur, in qua cum inveniatur rerum inter ſe comparandarum poteſtas, figurarum quoque fient exploratæ relationes.

Quæ

Quæ itá propoſui, atque explanavi húc collimant omnia, ut manifeſtum fiat, mentem vi propria in ſuas ſenſationes animadvertere, atque ideó intelligibiles nanciſci ideas in ſe ipſa.

Cum autem diutiús in oppoſitæ ſententiæ conſideratione moror, eó magís pugnantia mihi videntur ea, quibus exponitur, & defenditur. Notiones intelligibiles dicuntur eſſe hujuſmodi, ut per eas in alio intelligamus. Immane hoc eſſe paradoxum exiſtimo.

Intelligere eſt actus mentis; non ergo in alio intelligimus; ſicuti quia ſentire eſt mentis, hæc in alio non

ſentit. Intelligitur equidém ſæpé, quod eſt extrinſecum; verúm hoc non intelligitur in alio; itá ſentitur quidém, quod eſt extrá nos; at ſentitur in nobis, ſeu experitur anima in ſe ipſa vires rerum externarum.

Aliud eſt igitur extrinſecum aliquid intelligere, aliud rem externam intelligere in alio, quæ duo non diſtinguunt Adverſarii.

Quod intelligatur res externa, non conſequitur illius ideam menti non ineſſe; neque enim, ut rei alicujus idea menti inhæreat, oportet, rem in mente eſſe.

Ex univerſa, quam habuimus diſpu-

ſputatione, colligitur, mentem omnia in ſe contemplari ab externa cauſa, quæcumque ea ſit, vel quocumque modo operetur, diverſa ratione affectam. De cauſa, & modo quærant ii, quibus id otii eſt. Acceſſimus jampridem ſententiæ eorum, qui ea duo perſpecta fieri non poſſe docuerunt.

Placeat, nos conſtitutam ſententiam illuſtrare quoque momentis, quorum maxima eſt probabilitas.

Quamvis ad rerum externarum notionem acquirendam, motu ſenſuum, ac cerebri indigeamus; tamen poſtquám hujuſce commotionis ope exteriora co-

gnovimus, mens eorum videtur poſſe recordari, ſibique iterum repræſentare ſine corpore. Putas enim fortaſſé, quod intereunte corpore ſibi ſola relicta mens hominum, earum idearum penitús obliviſcatur? Noli hic reſpondere, omnia in Deo proſpicere mentem; nám iſtam ſomniantium potiús, quám differentium Philoſophorum ſententiam ſatís Philoſophi refellerunt.

Sunt equidém nonnulli túm veteteres, túm noſtræ ætatis Philoſophi, qui arbitrantur, diſſoluto hoc corpore, non omninò corporea, ſi ità loqui fas eſt, veſte ſpoliari; atque hinc,

hinc, quod ſuprá conjecimus, fortaſſé negabitur: at neque ſatís illud probant, neque, ſi, quod aſſeruimus, diffiteantur, experientiæ conſonant; ſentimus ením, mentem ſe ipſam determinare ad cogitandum de præteritis conſideratis objectis: ſolemus nimirúm identidèm dicere: volo de iis, quæ Romæ puta, vel Pariſiis vidi cogitare; qui mentis meæ actus eſt, non ad illum ab externa aliqua cauſa impellitur anima, quæ propterea abſque corpore præteritorum recordatur.

Quod ſi ejuſmodi memoria eſt quiddam a mente comprehenſum, tales

ſunt

ſunt quoqué ideæ, quarum mens ſolet meminiſſe. Sed hæc, ejuſdemque generis alia, ut innui, tamquám probabilia recenſeo.

CA-

Digitized by Google

CAPUT III.

Quid adverſis rationibus reſpondeatur.

JActis allatæ ſententiæ fundamentis, ea complectar rationis momenta, quæ opponi conſueverunt, vel ex iis, quæ nos excogitavimus, queunt derivari adversús propoſitam opinionem; atque illa removere conabor. Priús tamén illud opportuné notabitur, id conſilii nonnullorum eſſe, ut ea ſæpé afferant, quæ conficiunt quidém, compertam non eſſe nobis rationem, qua mens humana rerum exter-

ternarum imagines, omneſque ideas contineat; non autém pugnare, quod nos decrevimus; ii tamén in maximo verſantur errore; nam perſpectum habere, rem eſſe, & tali eſſe modo, duo ſunt, inter quæ maxima intercedit diſſimilitudo, & quorum poſtremum latere nos poteſt, quin alterum ignotum ſuperſit. Sed oppoſita argumenta inveſtigemus.

Illorum primum hoc facio: exploratum eſt, ajunt nonnulli, ideas ab humani corporis variis commotionibus dependere; ad rerum enim acquirendas ideas quidam neceſſarius eſt cerebri motus; ab eoque memoria

no-

Digitized by Google

noſtra proficiſcitur; diſcrimen eſt igitúr inter perceptiones, quæ abſque eo motu a mente fiunt, atque ideas, quæ illum omninó requirunt.

Verúm non injuria miramur, quoſdam hujuſce ſæculi præclaros Philoſophos ſic diſputare; ſi ením ideæ non ſunt mentis modi propterea quod ab hominis corpore dependeant; non erit ipſa mens illa, quæ odores, ſapores, aliaſque id generis qualitates ſentiat, ſeu ſenſationes ejuſmodi non erunt animæ modi, vel ſtatus, cum a corpore pendeant.

Quis tamén hoc affirmabit, niſi perſpicua principia, omniumque con-

ſenſione ſtatuta de medio tollat? nimís igitur probat, quod ad examen revocavimus, argumentum.

Sed, ut intimam rimemur illius vim, nemo unquám in controverſiam vocabit, ideas nonniſi poſitis quibuſdam cerebri motibus in anima exoriri; ex hoc tamén, qua diſſerendi recta methodo colligitur ideas non eſſe animæ modos, quia diverſa ſit perceptionum origo?

Non diffiteor, aliud eſſe ideam, aliud perceptionem; in eo tamén non eſt poſitum diſcrimen, quod illa ſit aliquid a mente ſecretum; hæc verò quiddam menti inhærens, ſed quod

idea

Digitized by Google

idea ab externis cauſis, perceptio ab ipſa mente originem ſumat.

Neque repugnat, in eadem ſubſtantia eſſe plura, quæ ſint diverſarum cauſarum effectus; nam, præterquamquod ſunt ejuſmodi animæ ſenſationes, in omnibus plerúmque entibus illud contingit.

Tandém memoriam a cerebri motibus, quicumque ii ſint, itá pendere, ut mens ſine illis præteritarum idearum recordari non poſſit, opinantur quamplurimi, totiſque viribus in id demonſtrandum incubuerunt; neſcio tamén, an quæ ab iis afferuntur momenta, perdifficilem de me-

Digitized by Google

moria quæſtionem confecerint.

Omnia, quibus utuntur, argumenta húc collimant, ut demonſtrent, memoriam debilitari vitiato çerebro, eodem ſano conſervari, & repetitis in eo motibus maximum in dies incrementum accipere; tamén nonne fieri hæc poſſent, quod arctiſſimum ſit inter animam, & corpus vinculum ità, ut ſano cerebro memoriam exerceat anima, vitiato exercere non poſſit, quia túnc cerebrum ſinat, vel impediat, quominús anima ſuis facultatibus utatur, quamquám hæ facultates in illa omninò ſint?

Etſi autém concederemus, memoriam

riam a cerebro pendere, non idcircó conſequeretur, ideas non eſſe mentis modos. Demonſtrandum adhúc ſupereſt, mentem a cerebro ſic affici non debere, ut in ea non oporteat enaſci modificatio, quæ extrinſecarum rerum ſit quodammodò exemplum, & delineatio. Hoc verò conſtitui numquám poterit; nimís ením evidens, quod in oppoſitum ſuprà firmavimus.

Qui refutatum hactenús argumentum propoſuere, aliud non majoris ponderis afferunt, cum ità diſputant: ſi ideæ ſunt mentis modi, cujuſmodi eſſe perceptiones novimus, alterutrum

fateri

ſateri oportet, aut mentem ſibi ideas creare, quod divinari eſſe, aut a Deo, corporibuſve illas habere, ex quo efficeretur, mentem non eſſe actívum principium ſuarum operationum, atque adeó ipſius natura everteretur.

Hoc, inquam, argumentum non majoris primo eſt ponderis, quamquám magno apparatu proferatur. Quando aſſeveramus, perceptiones, & ideas eſſe quid unum, illud tantummodó volumus, utraſque formalitér in mente contineri, non quod eandem habeant cauſam, ſeu originem. Illæ enim ab ipſa mente primarió oriun-

oriuntur; iſtæ ab externis cauſis, quæcumque tandém eæ ſint; de iis enim inquirere non eſt neceſſarium.

Hinc non video, qua ratione ſententia noſtra animæ activitatem deſtruere videatur; perceptiones enim ſunt mentis actiones itá, ut quamquám ideæ eſſent ejuſdem paſſiones, tamén anima non ſineret eſſe activum principium.

Cæterúm non aſſentior, ideas, ſi a corporibus, vel a Deo menti tribuantur, ipſam re vera paſſivam conſtituere; aut enim mens res externas volens percipit, tuncque ideæ ſunt actiones, aut nolens cognoſcit, ac ſen-

Digitized by Google

ſentit, tuncque quamvis perceptio iſta, quia neceſſaria, quamdam paſſionis ſpeciem præſeſerre videatur; tamén eſt actio; neceſſarió poſita, at ſempér eſt actio.

Exemplo rem comprobo, atque illuſtro: ſi audias: partem minorem eſſe toto, hoc ſtatím intelligis; ſed neceſſarió; abſtine ením ab hoc intelligendo, ſi potes, poſtquám audiſti; tamén illud per actionem intellectus tui aſſequeris. Itá a ſimili, pluriés fit, ut neceſſariò corporis tui ſentias commotiones, ac proptereà pati videaris, ſed re vera per actionem mentis tuæ ſentis. Neque verò neceſ-

ſitas

ſitas illa rationem actionis de medio tollit, alitér, quiá, cum ſaltém vigilamus, nos a cogitatione aliqua producenda cohibere non poſſumus, ac neceſſarió ad aliquid cogitandum impellimur, pateremur, ſeu tunc mens noſtra non ageret.

Quædam modó a Malebranchio audiamus: Philoſophus iſte, cujus ingenium non vulgare, itá ratiocinatur: cum Centaurum puta intueor, ſentio, me illius imaginem veluti rem a me ipſo diſcrepantem admirari. Si igitúr imago iſta aliquid eſt a mente alienum, in ipſa non reperitur mente, nec proptereá perceptio reputabitur.

Quamquám maxima ſit hujuſce momenti ſpecies ; tamén removeri poſſe arbitror, ſi, quæ ad ſententiam noſtram conſtituendam tradidimus, animadvertantur: imagines nimirúm objectorum non aliud ſunt, quám varii colores, ſeu animæ ſenſationes. Etſi igitur Centauri imago videatur menti quiddam a ſe ipſa ſecretum; tamén menti inhæret; quemadmodum licet colores extrá nos intueri credamus, ſunt animæ ſenſationes. Quaproptér intimus ſenſus ille tám a Malebranchio decantatus præjudicati animi ſenſus eſt, non rectè judicantis.

Prætereá ponamus mentem itá a

Deo

Digitized by Google

Deo comparatam fuiſſe, ut rerum omnium, quas percipit, ideas in ſe ipſa comprehendat; neque enim affirmabit quiſpiam hoc pugnare, ſeu a Deo fieri non poſſe; quotieſcumque mens eas ideas conſideraret, nonne ſentiret, ſe contemplari objecta a ſe ipſa diſtincta? hujuſmodi tamén ſenſus non conficeret, ideas a mente minimé contineri.

Quid plura! futile omninò eſt hoc ratiocinium: anima res a ſe diſtinctas percipit; igitúr non percipit in ſe ipſa.

Deſiderat animadverſionem noſtram illud quoquè, quod Malebranchius af-

firmat: perceptiones rerum generatím ſumptarum mentis eſſe modificationes non poſſe, adeóque ideas univerſales animam non complecti: nulla, inquit, ratione modalitas rei generalis eſſe poteſt modalitas rei particularis; cúm tamén, addit, cogito de circulo generatím ſumpto, objectum cogitationis meæ eſt ille generalitér ſpectatus circulus, cujus idea, ſi menti inhæreret, modalitas generalis eſſet modalitas rei particularis; quod abſurdum eſſe, explanare non oportet.

Hæc licét, & inventa ſint acutè, & ſubtilitér dicta; tamén imprimís ni-

Digitized by Google

nimiúm probat Malebranchius; ſi ením ipſum audiamus ſic diſſerentem; non ſolúm ea circuli idea, vel ſimilis alia quævis, non erit mentis modus; verúm etiám númquám a mente percipietur, quod tamén quis opinabitur? non percipietur, inquam; ut ením mens quacumque ratione percipiat, modificari debet, ſcilicét tranſeat neceſſe eſt ab una ad alteram exiſtendi rationem; ut igitúr generico conceptu circulum cognoſcat, generalitér modificanda eſt: at Malebranchius, id fieri non poſſe, aſſeverat; igitúr eum circulum nullo modo percipiet; negamus idcircó generalem

modalitatem animæ convenire non poſſe.

Ad hæc accedit, eam ideam, ſimileſque alias finitas eſſe; cur igitúr finitæ menti inhærere poſſe negabitur?

Tandém quid ſunt eæ ideæ univerſales, quám notiones, quæ acquiruntur animadvertendo id, quod pluribus eſt commune?

Quod poſſit anima plurimorum ſingularium ideas comprehendere, nemo jure in controverſiam vocabit; dubitare ergo non poſſumus, quin ad univerſales perceptiones acquirendas ſit idonea; poſitis enim particularibus eó

ipſo

ipſo univerſales ſunt poſitæ; quiá in iis quædam ſingulis communia reperiuntur.

Pergit Malebranchius ſua decreta defendere, noſque accuſat, quaſi animam corpoream faciamus, ſeu illam partiri velimus; nam in ſe ipſa proſpicere corpora, atque numeros, extenſionem, geometricas figuras intelligere, ac inter ſe comparare exiſtimamus.

Verúm huic ſatisfacerem difficultati, ſi hoc unum reſponderem: Deum ipſum res externas, prout ſunt, & antequám eſſent, vidiſſe, atque intellexiſſe, quin tamén hæc cognitio aliquid

Digitized by Google

quid ab ipſo Deo diſtinctum connotet, aut ipſum corporeum conſtituat:

Cur ergo mens hominum, quæ æqué, ac divina partibus caret, corporea cenſebitur, propterea quod in ſe corpora cognoſcere, & numeros, aliaque id generis intelligere arbitremur? ...

Sed aliud adversús Malebranchium urgere poſſum argumentum; ſi nimirúm mens non eſt corporea, quod ſentiat, ſeu experiatur in ſe ipſa vires corporum, quæ ſapida, frigida, calida appellantur; qua de cauſa erit corporea, quod experiatur vires corporum viſibilium? Docuimus jám vi-

dere

Digitized by Google

dere non aliud eſſe, quám ſentire.

Illud porró demonſtravimus, eam ſenſationum varietatem eſſe fontem, atque originem reliquarum idearum, cum ſcilicet in ea, quæ ſentimus, animadvertere, ſeu ratiocinari volumus.

Præterire ſilentio non poſſumus aliud ejuſdem Philoſophi ratiocinium, quo ſibi non conſtat, quantúm mea aſſequor cogitatione: ea tantúm, inquit, ab anima queunt intelligi, quæ ipſi intimé uniuntur; at, ſi naturam rerum corporearum conſideremus, iſtæ menti intimé uniri non poſſunt, cum inter haſce, & mentem nulla ſit

proportio, ſed immanis diſcrepantia. Quapropter res corporeas in ſe ipſa intelligere mens numquám valebit.

Secum pugnare Malebranchium, cum itá differit, explorata res eſt; nám, ut fert ipſius opinio, omnes ideæ ſunt aliquid extrá mentem collocatum; modó autém affirmat, nihil a mente poſſe intelligi, quod eidem intimé non uniatur; igitúr, ut intelligat ideas, hæ menti inhærere debent; non ſunt igitúr aliquid menti extrinſecum.

Porró concedimus, non poſſe corpora menti intrinſecé uniri, itá, ut

cor-

corpora, & mens ens unum conſtituant; attamén id fieri non oportet, ut anima rerum corporearum ideas complecti dicatur; nám, ſicutí probatum eſt, ſenſationes, quæ a corporibus, aut qualibet alia cauſa in mente excitantur, & in illas animadverſiones, ſeu ratiocinia ideas omnes pariunt.

At qua ratione, opponitur ulteriús, mens in ſe corporea objecta contemplatur, totque intelligit, neque eodem tempore ſubſtantiam ſuam, quæ corpora, & intelligibilia omnia repræſentat, minimé videt, hoc eſt ſe ipſam non cognoſcit? Poſſumus ne

rei modum intueri, quin rem modificatam conſpiciamus?

Cum puta eburnei globi figuram conſideramus, cohibere ne poſſumus oculum ab illius ſubſtantiæ viſu?

Hæc, niſi fallor, momenta mentem hominis evertunt: concedamus nimirúm, mentem in ſe minimé videre, aut intelligere, quód ſe ipſam non cognoſcat; igitúr ſe eſſe, cogitare, atque ratiocinari in ſe ipſa non cognoſcit. Quid erit igitúr mens?

Quemadmodúm ergo earum rerum ſecum gerit ideas anima, quin ſe ipſam cognoſcat; corporum quoque ideas eadem ratione poterit habere.

Ideæ

Digitized by Google

Ideæ ſunt mentis operationes, ſeu varii exiſtendi modi; poſſunt verò actus cogitantis principii ſentiri, & cognoſci, quin ſentientis, & cognoſcentis facultatis natura perſpecta habeatur; ſicuti, ut ſimilitudinem afferam, oculus objecta videt, ſe ipsum verò non contemplatur.

Injuria autém me carperet aliquis, quod explicare nequeam, cur hoc accidat; nám experientia, quam attulimus, ſatís reſpondet oppoſito argumento.

Adversús iſta ſic nonnulli diſputare conſueverunt: ſi ideæ ſunt mentis modi, memoria omninò erit men-

tis;

tis; hæc igitúr poterit ſibi res præteritas ad arbitrium repræſentare; contrarium tamén experimur.

Neque huic eſt locus reſponſioni, ideas in mente quandoque latere, & quodammodó in ipſius angulis abſcondi; ſtatueretur enim mens partibus compoſita, ſeu corporea.

Verúm ſi dicamus, memoriam præteritorum eſſe in mente; non propterea ſequitur, illa ad ſe, quotieſcumque cupit, poſſe revocare; poteſt enim corpus, quod menti fortitér adhæret, hanc mentis facultatem veluti coercere, atque, ne in actum exeat, impedire.

Sæpé mens cogitat, & ratiocinatur independentér a corpore; at, hoc vitiato, quandoquè fit, ut cogitare, & ratiocinari prohibeatur, de iis, quæ a corpore non proficiſcuntur, notionibus.

Tandém ex eo, quod ideæ ſint in mente, non conſequitur, memoriam in eadem eſſe debere; mens enim poteſt, poſtquam acceperit, ideas amittere, &, cum ideis opus eſt, iterúm acquirere, a quacumque demúm cauſa hæc duo placeat repetere.

Paucis modó volo illos, qui tanti faciunt argumentum hoc alterum:

quo-

quomodò, inquiunt, limitatum ens, quale eſſe animam novimus, rerum omnium ideas complectitur? quomodò mens unius ſpeciei res ſpecierum omnium ideas comprehendit?

Animadvertant Philoſophi iſti animæ ſenſationes, quas concedunt eſſe ipſius modos: illa ſcilicet res diverſæ ſpeciei ſentit, quamquàm ſit unius ſpeciei. Cur ergo reſpectu idearum idem contingere repugnabit?

Subtilitèr tandem nonnulli: ſenſationes, ajunt, quiddam obſcurum ſunt, atque confuſum; nam aliarum ad alias relationes planè ignoramus, quid ſint, mente non aſſequimur,

eas

eas ad arbitrium non experimur; neque enim ad libitum ſapores puta, vel odores ſentimus; at è contrá de extenſione, de geometricis figuris, numeriſque cogito, diverſaſque inſtituo comparationes. Igitúr ſenſationes, ſeu animæ modificationes aliquid ſunt ab ideis omninò diverſum.

Plura complectitur ratiocinium iſtud: primúm ſenſationes confuſas notiones eſſe definitur; verúm hoc veritati non conſonat; nám ſenſationes animæ alias ab aliis diſcernimus; immò ejuſdem ſenſationis varias cognoſcimus gradationes.

Quamvís autém, quid ſint, compertum non habeamus, nihil intereſt. Num extenſionis naturam intelligimus? eſt ne ſubſtantia? at cujus generis? quid illam conſtituit, ſeu quænam eſt ipſius eſſentia? Eadem poſtulare poſſum de reliquis rebus, quarum nos ideas habere dicitur, & relationes cognoſcere.

At mens ſe ipſam itá diſponere non poteſt, ut ad arbitrium olfaciat, ſapiat, cæteraſque ſentiat qualitates ſenſibiles; de ideis veró cogitare ſemper illi eſt liberum.

Non abnuo; at nego hinc conſequi, ideas menti non inhærere, ſicuti

Digitized by Google

uti ejuſmodi ſunt ſenſationes. Pugnat ne, animæ modificationes in genera duo tribuere ità, ut aliæ ad quamcumque voluntatem poſſint haberi; aliæ non ſimilitér? Neceſſe eſt fortaſſis ſingulas animæ modificationes ejuſdem eſſe generis?

Quid! quod mens ad libitum cogitet de extenſione, de numeris, aliiſque ſimilibus, immò ex iis cogitationibus unam præ altera ſeligat, probat potiús, memoriam earum rerum menti ineſſe; ſecús qua ratione explicatur, animam, quotieſcumque vult, ſeu per actum ſuum, ſe determinare ad unam potiús, quám alte-

ram cogitationem? Quod ſi memoria earum rerum menti ineſt, cum hæc ſine ideis nequeat conſiſtere, ideæ quoque eidem menti inſint neceſſe eſt. Pluribus igitur de cauſis in vitio eſt propoſita difficultas.

Hæc habui, quæ de ideis animadverterem. Multa, quamvís obſoleta ad examen revocavimus objecta, quod faciliús conſtitutis a nobis principiis refelli poſſe videantur.

Finis Secundæ Partis.

Digitized by Google

INDEX
CAPITUM
PARS PRIMA.

De natura cogitantis Principii.

CAPUT PRIMUM.

Num poſſit materia cogitare. Pag. 1

CAPUT II.

Eadem quæſtio ulteriùs progreditur. 21

CAPUT III.

Quomodo iis, quæ Lockius opponit, ſatisfiat. 30

CAPUT IV.

Ad examen revocantur Volterii objecta. 44

PARS

PARS SECUNDA.

De natura Idearum.

CAPUT PRIMUM.

Sint ne ideæ in mente, aut quiddam ab ea diſtinctum. 53

CAPUT II.

Hæreant ne menti ideæ intelligibiles. 70

CAPUT III.

Quid adverſis rationibus reſpondeatur. 79

NOI

NOI
RIFORMATORI
Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del P. F. Franceſco Antonio Mantoa Inquiſitor Generale del Santo Officio di Padova nel Libro intitolato *De natura cogitantis principii atque idearum mentis humanæ*, Mſ. non v'eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi Concediamo Licenza a *Franceſco Conzatti* Stampator di Padova che poſſi eſſer ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Publiche Librarie di Venezia, & di Padova.

Dat. li 22. Settembre 1764.

(*ANGELO CONTARINI Proc. Riſ.*
(*ALVISE VALLARESSO Riſ.*
(*FRANCESCO MOROSINI* 2. *K. Proc. Riſ.*

Regiſtrato in Libro a Carte 215. al Num. 1268.
Primo Ottobre 1764.

Daniele Marcheſini Seg.

Reg. nel Magiſtr. Eccell. de' Sig. contro la Beſtemia.

Franceſco Gadaldini Seg.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Google